

BX1936

F4
v. 5



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

BIBLIOTHECA

F. LUCHI FERRARIS.

L

LEGITIMUS.

Vide verb. FILIUS

LEX

ARTICULUS I.

Lex quoad ea quae concernunt ipsius naturam, divisionem, et eos, qui ipsam condere possunt.

SUMMARIUM.

1. Lex unde sic dicta? — 2. Lex solet appellari variis nominibus, quae assignantur. — 3. Dicta nomina in quo differant? — 4. Ad legem varia requiruntur conditiones, ex cap. *Erit autem lex* 2, dist. 4. — 5. Primo, debet esse honesta, et justa. — 6. Secundo, debet esse possibilis. — 7. Tertio, debet esse loco temporisque conveniens. — 8. Quarto, debet esse necessaria et utilis. — 9. Quinto, debet esse manifesta. — 10. Sexto, debet esse nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate praescripta. — 11. Brevius tamen et clarius omnes necessariae legis conditiones continentur in ejus definitione, quae hic datur. — 12. Primo igitur requiritur quod lex sit recta agendorum ratio. — 13. Secundo, quod sit lata a publica potestate. — 14. Tertio, quod sit communitati denuntiata. — 15. Quarto, quod sit lata cum voluntate perpetuo obligandi. — 16. Assignatur prima differentia legis a simplici praecocepto. — 17. Assignatur secunda. — 18. Assignatur tertia. — 19. Lex dividitur immediate in aeternam, et temporalem; et quae sit utraque? et in quo differant? — 20. Lex temporalis subdividitur in naturalem et positivam; et quae sit utraque et in quo differant? — 21. Lex positiva subdividitur in divinam et humanam, et quae sit utraque? — 22. Lex divina positiva subdividitur in legem veterem et novam, et quae sit utraque? — 23. Lex divina positiva alia est mere divina positiva, et alia est divina naturalis, et quae sit utraque? — 24. Lex positiva humana subdividitur in legem, seu jus gentium, in legem ecclesiasticam, seu canonicam, et in legem saecularem, seu civilem, et quae sint omnes? — 25. Lex, seu jus gentium, subdividitur in primum et secundarium, et quid, et quale sit utrumque? *remissive*. — 26. Lex ecclesiastica, seu canonica quomodo subdividitur? *remissive*. — 27. Lex saecularis, seu civilis quomodo subdividatur? *remissive*. — 28. Lex, seu jus gentium in quo differat a lege canonica et civili? — 29. Et in quo a lege naturali? — 30. Quando inter leges ecclesiasticas, seu canonicas, et saeculares, seu civiles, est aperta contrarietas, quanam sint servanda? *remissive*. — 31. Summus Pontifex potest condere leges eccle-

siasticas, seu canonicas in materia spirituali, et concernente animarum salutem, obligantes pro toto orbe Christiano. — 32. Legatus pontificis potest leges ecclesiasticas ferre intra fines suae legationis. — 33. Cardinales possunt similes leges ferre in ecclesiis sui tituli. — 34. Patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi possunt dictas leges ferre pro suis respective diocesis. — 35. Abbates exempti, alique praelati obtinentes in suis territoriis jurisdictionem quasi episcopalem. — 36. Item abbates, priores, abbatissae, priorissae, superioresque similes independentes, pro suis monasteriis. — 37. Concilium generale legitime congregatum potest condere leges ecclesiasticas obligantes totam Ecclesiam, dummodo Pontifex consensum praebet, easque confirmet. — 38. Item leges ecclesiasticas condere potest concilium provinciale, et synodus dioecesis obligantes proprios subditos intra limites sui territorii existentes. — 39. Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante, potest condere leges totam diocesim obligantes, etiam post electionem novi episcopi, donec ipse illas revocaverit. — 40. Affertur, et solvitur objectio. — 41. Capitula generalia regularium possunt condere leges, et statuta propria pro tota religione ad successores transeuntia, juxta modum in quavis respective regula praescriptum, et consuetudines proprias, et privilegia. Et sic capitula provincialia respective pro unaquaque sua provincia. — 42. Leges civiles, seu politicas condere potest Summus Pontifex pro ditione temporali suo dominio subjecta; imperator pro imperio, reges pro suis regnis, et alii duces, seu principes, aut reipublicae suprema jurisdictione temporali gaudentes pro suis respective ditionibus. — 43. Principes autem inferiores, civitates et communitates suprema jurisdictione temporali non gaudentes, nequeunt leges et statuta condere, nisi accedat concessio, seu confirmatio supremi principis, cui subjiciuntur, aut consuetudo legitime praescripta. — 44. Nulla potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica potest condere leges, vel statuta contra jus naturale, vel divinum praecoceptum, vel prohibitivum. — 45. Quinimo nulla potestas legislativa humana, Summo Pontifice excepto, potest leges ferre, et quidpiam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones apostolicas. — 46. Subnectuntur addit. ex alien. manu ad n. 57. — 48. De lege Mosaica speciatim ad n. 65.

FERRAR. V.

(1. Lex secundum etymon nominis dicitur vel a *legendo*, ut vult S. Isidorus lib. II *Etymol.* cap. 10, eo quod leges apud veteres solebant in publicis tabulis scribi, et populo legendæ proponi, ut in ipsis legerent, quæ praticare, et a quibus abstinere deberent; vel ab *eligendo* secundum Ciceronem lib. I *De legib.*, et S. Aug. quæst. 15 *Novi Testamenti* dicentem: « Lex ab electione dicta est, ut e multis quod eligas, sumas, » vel potius a *ligando*, eo quod homines legibus ligentur, seu obligentur ad aliquid faciendum, vel omittendum, ut vult S. Thom. 1-2, q. 90, art. 1, et Scotus in 4, dist. 15, qu. 2, § *Hic sunt quatuor*.

(2. Lex solet variis aliis nominibus appellari. Interdum enim vocatur *Jus*, eo quod definiat, ac præscribat quod justum est: cap. *Jus generale* 2, dist. 1. ibi: « Jus autem est dictum, quia justum est. » Quamvis tamen, strictè loquendo, inter legem et jus nonnulla sit differentia, quia, ut dicitur in cit. cap. *Jus generale* 2, dist. 1, « Jus generale nomen est, lex autem Juris est species; » sub uno enim jure divino vel humano, canonico vel civili, leges plurimæ continentur. Aliquando lex appellatur *constitutio*, quia illam præcedere solet plurium consilium, et consensus quidpiam simul statuentium, quasi communis statutio. Quandoque lex dicitur *statutum*, eo quod per ipsam statuatur aliquid stabile atque firmum. (3. Dicta autem nomina in hoc differunt, quod leges supremi principis sæcularis dicantur *jura*; Summi Pontificis vero decreta appellantur *constitutiones*; et decreta inferiorum principum, civitatum et populorum dicantur *statuta*, quamvis sæpe sæpius soleant confundi, et sumi promiscue.

(4. Ad legem variæ requiruntur conditiones, quæ ex divo Isidoro assignantur, in cap. *Erit autem lex* 2, dist. 4, ibi: « Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. » (5. Debet igitur lex primo esse *honestæ et justæ*; quia ideo lex conditur, ut genus humanum informetur honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere; § *Juris Institut. De justit., et jure*, ibi: « Juris præcepta sunt hæc: Honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere: » et cap. *Consuetudo*, 5, distinct. 1, ibi: « Lex erit quod ratione constiterit, religioni conveniat, disciplinæ congruat, salutis proficiat. »

(6. Debet secundo esse *possibilis*; nam, ut habetur in l. *Impossibile* 185, ff. *De regul. juris*. « Impossibile nulla est obligatio, » et cap. *Nemo* 6, *De regul. juris* in 6: « Nemo potest ad impossibile obligari. » Et additur *secundum naturam*, quia lex non debet præcipere supra vires, et possibilitatem naturæ; sic, ipsa naturali ratione dictante, cui lex conformari debet; cap. *Consuetudo* 9,

dist. 1. Et subjungitur *Secundum patriæ consuetudinem*; quia rationabiles patriæ consuetudines non facile per legem contrariam sunt abrogandæ; ut enim expresse habetur in l. *De quibus*, ff. *De legibus*: « In veterata consuetudo pro lege non immerito custoditur; » et in dubio lex secundum patriæ consuetudinem est intelligenda et interpretanda, l. *Si de interpretatione*, ff. *De legibus* cum consuetudo sit optima legum interpres, c. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.*

(7. Debet tertio esse *loco temporique conveniens*, quia leges condi debent, et moderari juxta diversitatem locorum, et qualitatem temporum, atque hominum, quibus dantur, textu expresso in cap. *Sciendum est* 1, cap. *Regulæ* 2, et c. *Necesse est* 3, distinct. 29. Et de facto nostra Fratrum Minorum Regula a sancto Patre Francisco divinitus accepta habet modificationem in c. 4, ibi: *Secundum loca et tempora*.

(8. Debet quarto esse *necessaria et utilis*, quia jus novum statui non debet nisi instante necessitate, cap. *Regulæ* 2, dist. 29, et leg. *Ergo omne* 39, ff. *De legibus*, et in l. 3, ff. *De constitut. princip.* expresse dicitur, quod « in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, » alioquin tanquam sine ratione, et causa lata, superflua censeretur, et potius quam de novo condenda, esset rursus abjicienda, si jam fuisset condita, textu claro in c. *Omnia talia* 12, dist. 2.

(9. Debet quinto esse *manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat*; quia propter ejus obscuritatem posset captiose et perperam interpretari, et inde multa possent mala evenire, ad quæ evitanda merito statuitur etiam in cap. *Abbate* 25, § *Contra*, *De verbor. signific.* quod « Lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa et manifesta. »

(10. Debet sexto esse *nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*, quia lex primario et principaliter debet esse ordinata ad bonum commune reipublicæ, ut expresse habetur in l. 1, ff. *De legibus*, ibi: « Lex est commune præceptum, communis reipublicæ sponsio, et l. 2, ff. eod., ibi: « Lex est communis sponsio Civitatis, ad cujus præscriptum omnes, qui in ea Republica sunt, vitam instituere debent, » et l. 8, ff. eod. ibi: « Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. »

(11. Brevius tamen, et clarius omnes necessariæ legis conditiones continentur in definitione, quæ de ipsa generatim sumpta, et prout est quid commune ad constitutiones humanas, tam ecclesiasticas, quam civiles, traditur his verbis: « Lex est recta agendorum ratio a publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum; » sic in re *Communis doctorum*.

(12. Primo igitur ad veram legem requiritur, quod sit *recta agendorum ratio*, id est *justa et honesta*: quia si non sit justa, non est absolute dicenda lex, ut expresse

dicit S. Augustin. lib. I *De liber. arbitr.*, cap. 5, ibi: « Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. » (13. Secundo requiritur quod sit lata a *publica potestate*, scilicet a legislatore habente legitimam et publicam auctoritatem, ferendi legem; aliter talis lex posset sine incurso culpæ et pœnæ non observari, c. *Ut animarum* II *De constitutionibus*, in 6, ibi: « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » (14. Tertio requiritur quod sit *communitati denunciata*, id est quod sit promulgata, aliter ignorantia merito excusaret subditos ab observatione legis: cap. 1, *De præbend.*, in 6, ibi: « Lex seu constitutio, et mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem; *Authent.* Ut factæ novæ constitutiones § *Sancimus*, collat. 5, ibi: Cur enim (inquit imperator) culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint Constitutiones? » (15. Quarto, quod sit lata *cum voluntate perpetuo obligandi*, id est quod legislator intendat subditos obligare ad observantiam talis legis; aliter non erit lex, sed consilium. Et quidem *obligandi perpetuo*, quia lex, quantum est de sui natura, nisi postmodum legitime revocetur, est, ut obliget in perpetuum; arg. cap. *Nemini dubium est* 10, *De officio legati*, et cap. *Ex rescripto* 1, *De locato*, cum similibus, et quidem merito, cum ea quæ ad jus pertinent perpetua esse debeant; l. *Falso*, *Cod. de diversis rescriptis*.

(16. Hinc lex differt a simplici præcepto. Primo, quia lex durat etiam post mortem legislatoris, et semper suam vim habet, donec revocetur, aut per contrariam consuetudinem legitime abrogetur, argum. cit. *Juribus*; simplex vero præceptum exspirat morte præipientis, et absque nova revocatione cessat cessante vita aut officio præipientis, ut de se patet, et tenet Menoch. lib. 1, *De arbitrar. judic.*, quæst. 69, n. 4; Sanch., lib. VIII, *De matrim.*, disput. 28, n. 47, Layman., in cap. *Gratum* 20, *De offic. delegat.* in 6, et alii passim. (17. Secundo differt, quia lex censetur immediate afficere locum, seu territorium legislatoris, et inde in subditos inibi existentes transire. Unde leges territorii non obligant cives absentes; cap. *Ut animarum* 2, *De constitut.*, et sic tenent doctores communiter, argum. leg. *Omnes populi*, ff. *De justitia et jure*. Simplex vero præceptum e contra immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus inhiaret, quocumque locorum abierint, et hoc patet de præceptis superiorum, v. gr. prælatorum regularium, quæ obligant subditos, ubicumque existant, cum eis competat jurisdictionis in ipsos subditos, non ratione loci, sed per se, ac ratione personæ propter votum obedientiæ. (18. Tertio differt, quia lex imponitur toti reipublicæ, seu communitati, et loquitur non tantum ad præsentem, sed etiam ad futuros l. 1, ff. *De legibus*, ibi: *Lex est commune præceptum*, l. *Leges* 7, *Cod. de legibus*, cap. *Quoniam* 13, *De constitutionibus*, ibi: « Cum leges, et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis. »

Simplex vero præceptum imponitur personis singularibus, et præsentibus, cum quibus ordinariè extinguitur, nec transit ad successores, ut patet de præcepto patris imposito huic, vel illi filio; de præcepto superioris huic, vel illi religioso, et hujusmodi.

(19. Lex, ut sic, dividitur immediate in æternam et temporalem. *Lex æterna* est ordinatio quædam divinæ voluntatis ab æterno fixe determinantis quæ sint agenda, vel cavenda a creatura rationali, ut debitum finem assequatur. *Lex temporalis* est, quæ ad dictum finem est condita in tempore. Et in hoc differunt, quod prima sit increata, et in Deo, secunda autem creata, et extra Deum.

(20. Lex temporalis subdividitur in naturalem et in positivam. *Lex naturalis* est regula obligans creaturam rationalem ad practicandum ea quæ ex se necessario conveniunt naturæ rationali, et omittendum ea quæ eidem disconveniunt. *Lex positiva* est quæ ab aliquo legislatore positivo, sive Deo, sive homine posita est, tanquam regula obligans creaturam rationalem ad practicandum, vel omittendum ea, quæ non ex se, nec necessario conveniunt, aut disconveniunt, naturæ rationali. Et in hoc differunt, quod in lege naturali objectum ex se, necessario, et ab intrinseco habet, quod sit conveniens, aut disconveniens, bonum, aut malum. In lege vero positiva objectum solum ab extrinseco libere, et contingenter a voluntate legislatoris positivi habet, quod sit conveniens, aut disconveniens, et quod sit obligans; unde quæ lege naturali sunt prohibita, ideo sunt prohibita, quia ex se mala. Quæ autem lege positiva prohibentur, ideo sunt mala, quia prohibita.

(21. Lex positiva subdividitur in divinam et humanam. *Lex divina positiva* est quæ a Deo in tempore lata et condita est. *Lex humana positiva* est quæ lata et condita est ab homine.

(22. Lex divina positiva subdividitur in legem veterem et in legem novam. *Lex vetus*, seu Mosaica, est quæ a Deo per angelos Moysi, et per Moysen Israelitis pro tempore Veteris Testamenti tradita fuit. *Lex nova*, seu evangelica, est quæ a Christo fuit condita, et partim per ipsummet, partim per apostolos fuit publicata.

(23. Lex divina positiva alia est mere divina positiva, et alia est divina positiva naturalis. *Lex divina mere positiva* est, quæ mere præcipit ea quæ non sunt præcepta a lege naturali, ut quod confessarius debeat esse sacerdos, quod confessio peccatorum mortalium debeat præmitti sumptioni Eucharistiæ, et hujusmodi. *Lex divina positiva naturalis* est, quæ præcipit eadem quæ præcipiuntur a lege naturali, ut quod Deus sit colendus, parentes sint honorandi, non sit mentiendum, et non sit occidendum, et hujusmodi.

(24. Lex positiva humana subdividitur in legem, seu jus gentium, in legem ecclesiasticam, seu canonicam, et in legem sæcularem, seu civilem. *Lex*, seu *jus gentium*, est